eam, & per omnia fere cœlestis veritatis auram spirare, & ab amico candido, ac veræ Religionis mysta proficisci sentiebam. Quocirca ingratissima sim mortalium, nisi ejusmodi officiis provocata, me tibi plurimum debere testificarer. Vale vir humanissime, & ne quid decedat tuæ erga nos propensitati, & per favorem ut cœpisti errare, & per errorem favere perge. Ultrajecti. III. Non. Januarias cIↃ IↃ c XXXVIII.

Viro Clarissimo,

D. JOHANNI SMITH

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

POstremis tuis, Vir Reverende, nihil mihi accidere potuisset gratius, tum quia geminam spirabant antiquitatem, tum etiam quia affectum erga me tuum eximii muneris quodam veluti auctario testificabantur.

Este-

Effecisti ſanè obſervatione tua doctiſſima, ut nemo inpoſterum dubitare poſsit amplius, quiſnam fuerit ille tantopere quondam decantatus, maximiſque viris quæſitus nummus ſerratus. Nec parum luminis fœnerari Hiſtoriæ videmus à tam ſolida atque perſpicua inſcriptionum explicatione. Utinam Deus Opt. Max. ita præclaris ejuſmodi tuis faveret lucubrationibus, ut brevi fruerentur publicæ lucis uſura. Nuper meam in ære cælavi effigiem cujus exemplum una cum libello recenter edito ad te mitto: quod ut boni conſulas vehementer rogo. Vale & ſalve, Vir ornatiſsime, cum tuis Chariſsimis omnibus. Ultrajecti VI. Idus Maii CIↃ IↃ C XLI.

Viro